APPARATUS MUSICO-ORGANISTICUS

INVICTISSIMO

LEOPOLDO I.

IMPERATORI SEMPER AUGUSTO

AD

CORONATIONEM AUSPICATISSIMAM

CONIUGIS AC FILII

AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS

AC

POTENTISSIMI ROMANORUM

REGIS

In demiſsiſsimum obsequium

oblatus

à

Georgio Muffat.

A. 1690.

Ad Benevolum Lectorem.

NOn auſus fuiſſem, amice Lector, opus viribus meis longè impar; niſi Magni Principis ſuffultus Munificentiâ; ſtimulatus, & penè coactus multorum deſiderio; efficaciter tractus Muſicorum etiam calculo; boni publici amore, & Philomuſicorum favore. Haud etenim me fugit floruiſſe hactenus Viros hujus ſcientiæ, ac dexteritatis peritiſſimos: at quia jam à ſeptuaginta propè annis ipſis, aio, Freſcobaldi temporibus, ſimile quidpiam Typis commiſſum fuiſſe, non mihi innotuit, ipſe ſtylus, haud modicè hucuſque immutatns hanc operam exigere videbatur. Quibus permotus hoc primum Opus Organiſticum meditabar ſpiritu promptu, ſed Viribus infirmis, atque imparibus. Et Ecce fortuitum auxilium; Dum Ego omni ſtudio huic operi me impenderem, expenſas ſolvit Alter: CELSISSIMUS, inquam, ac REVERENDISSIMUS PRINCEPS & ARCHIEPISCOPUS SALISBURGENSIS, Dominus, Dominus, ac Mœcenas meus Clementiſſimus, Munificentiſſimus. Huic itaque boni publici amantiſſimo Zeloti, in acceptis refer; meam autem, qualem qualem operam, Lector Benevole, æqui, bonique conſule, Et ad ea quæ in hoc opere præmonenda duxi, benignè ac breviter animum adverte.

Uſus, ſum in tradendis his Modulationibus crebriore Clavium indicialium mutatione; eò nimirùm, quod adverterim neceſſariam omninò his temboribus maximè ad transponendas in diverſos alios tonos quaslibet melotheſes, perfectam Clavium omnium notitiam. Habebunt itaque Philomuſici in addiſcendis hiſce meis Modulationibus, Clavium, uti & temporum Muſicorum modernorum ferè omnium plenum, ac proficuum in opere, ut ſpero Exercitium.

Porrò ſignatum ſimplex, tremulum ordinarium, quo nota ita ſignata cum proximâ clavi ſuperiori tremiſcit, ſignificat. verò cui ſimilis virgula ſubducta cernitur, ſemitremulum vulgò mordant. quo nota itâ ſignata cum clavi inferiori proximâ, eâque ſæpè (ubi aures id non vetant) per ſemitonium majus diſtante tremiſcit, ita circumflexum, tremulum recentioris modi, ſcil. qui poſt abſolutum tremulum ordinarium more ſolito cum notâ ſuperiore exhibitum, inferiorem etiam notam unicâ vice tantùm aſſumit, denotat. Hoc vero ſignum tremulum longum ad extremum uſque continuatum indicat. Litteræ P. M. Pedale ad libitum, ad Manuale Claviarium ſimul uſurpandum ſignificant. P. S. Pedale ſolum. M. S. Manuale ſolum.

Cætera ſano Judicio pollens Muſicus ipſemet levi negotio colliget, qui ſi hic conatus meus placet, plura cum tempore, Deo favente, videbit. In quibuſdam enim & modum eleganter pulſandi Theorico-practicè, uti & multa alia alijs operibus, ut confido, traditurus ſum. Tu ſtylum hunc meum, illâ quam præſtantiſſimorùm Organœdorum Germaniæ, Italiæ, ac Galliæ praxi, ac conſuetudine adeptus ſum experientiâ mixtum, ac nondum adeò notum, ac ſolitum interea proba; & ſi allubet approba. Deum ama, & lauda in Chordis & Organo, quò Clementiſſimi, ac Munificentiſſimi Mecænatis mei intentio potiſſimum collineat.

P.S. Cùm poſt humillimè oblatum, & quidem ad Auguſtiſſimas Sac.^a Cæs.^a Majeſtatis manus Auguſtæ Vindelicorum, Clementiſſimèque auditum, ac Munificentiſſimè acceptum hoc opus, Mihi reduci ad obeundum in poſterùm apud Rev.^mum ac Cels.^mum Epiſcopum & Principem Paſſavienſem Capellæ Magiſtri, nec non DD. Ephœborum Præfecti officium, Salisburgo Paſſavium domicilium meum transferendum fuerit; mutationis hujus ob futuri litterarum aut Muſicalium commercij ſecuritatem hiſce etiam Benevolum Lectorem poſtremò monendum cenſui.

NOVA CYCLOPEIAS HARMONICA

2.da
3.tia
Voltate subitò.

4.ta
5.ta
6.ta

t
Sæpius repetita
Valebunt.
7 ma.
Voltate subitò.

SUMMO DEO GLORIA.